

Et^l hoc quantum faciat quantumque valeat ad integritatem et stabilitatem religionis animadvertere possumus et ex (Fol. 154^r) contrario^m maxime colligere, cum manifesta sit huiusmodi habitudo illorum monasteriorum, in quibus non alii deo serviunt quodⁿ soli a pueris nutriti.

Est adhuc et alia gracia, que locum iam sepe dictum commendat, quod illuc nonnulli pro amore Christi convenerunt huius fervoris huiusque humilitatis, ut eis non tam libeat haberi pro monachis quam pro servis monachorum, et ultro se obtulerint ad ministerium coquine, pistrini et aliarum humanarum necessitatum. Quod plane tanto maioris est meriti, quanto expressius illum imitantur, qui, cum sit celestium virtutum imperator, tamen homo factus in hunc mundum *venit non tam ministrari quam ministrare*⁹.

Hec singula considerantes non indignum duximus, ut, qui quandam *vite novitatem*¹⁰ pro Christi dilectione sunt adorsi, eis etiam pro ipsius honore plus aliquantulum quam aliis ecclesiis deferatur.

Ergo^o primum constituimus, ut per omnia tempora succedencia nullus sit mortalium, qui mutare audeat illud bonum studium et exemplum bonum militaris discipline, ut sicut in presenciarum de cetero quoque virorum Christi cuneus tam etate infirmiore quam infirmiore sexu numquam interrumpatur, nec in miliciam spiritualem ante prescriptum terminum, idest ante viginti annos, quisquam recenseatur. Eoque modo eterno regi militantes, ut ullus^p episcoporum ulla huius generis questione aliquo modo inquietet, ex parte dei omnipotentis, ex parte dei genitricis et intemerate virginis Marie, ex parte apostolorum principis sancti Petri et ex nostra interdiciamus, contradiciamus^q et anathematizamus. Quibus etiam si tale quid contigerit, quia pro tanta viarum intercapedine non est facile, ut ad presenciam nostram et audienciam recurrant, Moguntine archiepiscopo ecclesie, cui decessores nostri vicem suam in partibus Germanie commendaverunt, nos etiam nostram super istum locum et habitatores eius commendamus, ut de omni querela, que eis acciderit, ad eum se reclamare possint. *Et* quia,

l) *am Außenrand*: Utile est non admittere pueros. m) *am Außenrand*: Commendatur institutio donatorum in cenobio. n) *zu lesen*: quam. o) *am Außenrand*: Ne quis ante annos XX suscipiatur in Hirsaugia. p) *korrigiert aus*: nullus. q) *am Außenrand*: Archiepiscopus Moguntinus est commissarius Hirsaugiensium.

⁹) Matth. 20, 28: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare*. – Vgl. dazu auch Bernoldi Chronicon ad a. 1091, MGH SS 5, S. 453, über die Laienbrüder in den Reformklöstern Schwabens: *Se enim servos eorumdem [monachorum] pro Domino fecerunt, imitantes ipsum qui non venit ministrari sed ministrare*.

¹⁰) Röm. 6, 4.